

igne gravatur, ut Gregorius dicit, secundum meritum culpæ: & inde est quod eodem igne quidam plus, quidam minus cruciantur. Unde cum culpa damnati immutata remaneat, non potest esse quod levius poenam ferat. Et nihilominus est prædicta opinio præsumptuosa, ut pote Sanctorum dictis contraria; & vana, nulla auctoritate fulta; & nihilominus irrationalis: tum quia damnati in inferno sunt extra vinculum charitatis, secundum quam opera vivorum continuantur defunctis: tum quia totaliter ad viam terminum pervenerunt recipientes ultimam pro meritis retributionem, sicut & Sancti qui sunt in patria. Quod enim adhuc restat de poena, vel gloria corporis, hoc eis rationem viatoris non præbet, cum gloria essentialiter & radicaliter existat in anima; & similiter merita damnatorum: & ideo non potest poena eorum diminui, sicut nec gloria Sanctorum augeri quantum præmium essentielle.

Sed tamen modus qui à quibusdam ponitur, quod suffragia prosunt damnatis, posset aliquo modo sustineri, ut si dicitur, quod non prosunt neque quantum ad diminutionem poenæ, vel interruptionem, vel quantum ad diminutionem sensus poenæ; sed quia ex huiusmodi suffragiis eis aliqua materia doloris subtrahitur, quæ eis esse posset, si ita se abjectos conspicerent quod pro eis nullam curam haberent (1) vi-vi: quæ materia doloris eis subtrahitur, dum suffragia pro eis fiunt. Sed istud etiam non potest esse secundum legem communem: quia, ut Augustinus dicit in Lib. de cura pro mortuis agenda, cap. xlii. (quod præcipue de damnatis verum est) *ibi sunt spiritus defunctorum ubi non vident quæcumque agunt, aut eveniunt in ista vita hominibus*: & ita non cognoscunt quando pro eis suffragia fiunt, nisi supra communem legem hoc remedium divinitus detur aliquibus damnatorum; quod est verbum omnino incertum.

Unde tutius est simpliciter dicere, quod suffragia non prosunt damnatis, nec pro eis Ecclesia orare intendit, sicut ex auctoritatibus inductis apparet.

Ad primum ergo dicendum, quod donaria idolorum non fuerunt inventa apud illos mortuos, ut ex eis signum accipi posset quod in reverentiam idolorum (2) ea deferrent; sed ea acceperunt ut victores quæ eis iure belli debebantur; & tamen per avaritiam venialiter peccaverunt; unde non fuerunt in inferno damnati; & sic suffragia eis prodesse poterant. Vel dicendum secundum quosdam, quod in ipsa pugna videntes sibi periculum imminere, de peccato poeniterunt, secundum illud Psal. lxxviii. 34. *Cum occideret eos, quærebant eum*. Et hoc probabiliter potest æstimari: & ideo oblatio pro eis fuit facta.

Ad secundum dicendum, quod damnatio in verbis illis large accipitur pro quacumque punitione, ut sic includat & poenam purgatorii: quæ quandoque totaliter per suffragia expiatur; quandoque autem non, sed diminuitur.

Ad tertium dicendum, quod quantum ad hoc magis acceptatur suffragium pro mortuo quam pro vivo, quia magis indiget, cum non possit auxiliari sibi, sicut vivus potest; sed quantum ad hoc vivus est melioris conditionis, quia potest transferri de statu culpæ mortalis in statum gratiæ, quod de mortuis dici non potest: & ideo non est eadem causa orandi pro mortuis, & pro vivis.

Ad quartum dicendum, quod illud adiutorium non erat (3) in hoc quod poena eorum diminueretur,

(1) *Al. deest vivi.* (2) *Al. eis.* (3) *Al. deest in hoc.*

sed in hoc solo, ut ibidem dicitur, quod eo orante, concedebatur eis ut mutuo se viderent: & in hoc aliquod gaudium non verum, sed phantasticum habebant, dum implebatur hoc quod desiderabant; sicut & demones gaudere dicuntur, dum homines ad peccata pertrahunt, quamvis per hoc eorum poena multatenus minuat, sicut nec minuitur gaudium Angelorum per hoc quod malis nostris compati dicuntur.

Ad quintum dicendum, quod de facto Trajani hoc modo potest probabiliter æstimari, quod precibus Beati Gregorii ad vitam fuerit revocatus, & ibi gratiam consecutus sit, per quam remissionem peccatorum habuit, & per consequens immunitatem à poena; sicut etiam apparet in omnibus illis qui fuerunt miraculose à mortuis suscitari, quorum plures constat idolatras, & damnatos fuisse. De omnibus enim similiter dici oportet, quod non erant in inferno finaliter deputati, sed secundum presentem justitiam priorum meritorum; secundum autem superiores causas, quibus prævidebantur ad vitam revocandi, erat de eis aliter disponendum. Vel dicendum secundum quosdam, quod anima Trajani non fuit simpliciter à reatu poenæ æternæ absoluta; sed ejus poena fuit suspensa ad tempus, scilicet usque ad diem iudicii. Nec tamen oportet quod hoc fiat communiter per suffragia: quia alia sunt quæ lege communi accidunt, & alia quæ singulariter ex privilegio aliquibus conceduntur: sicut alia sunt humanarum limitum rerum, alia divina signa virtutum, ut Augustinus dicit in Lib. de cura pro mortuis agenda, cap. xvi.

#### SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod poena purgatorii est in supplementum satisfactionis quæ non fuerat plene in corpore consummata: & ideo quia, sicut ex prædictis patet, & ex his quæ supra dist. xx. dicta sunt, opera unius possunt valere alteri ad satisfactionem, sive vivis, sive mortuis; non est dubium quin suffragia per vivos facta existentibus in purgatorio prosint.

Ad primum ergo dicendum, quod auctoritas illa loquitur de inferno damnatorum, in quo nulla est redemptio quantum ad illos qui sunt finaliter tali poenæ deputati. Vel dicendum secundum Damascenum in sermone de dormientibus: quia huiusmodi auctoritates exponendæ sunt secundum causas inferiores, scilicet secundum exigentiam meritorum eorum qui poenis deputantur; sed secundum divinam misericordiam, quæ vincit humana merita, ad preces justorum aliter quandoque disponitur quam sententia prædictarum auctoritatum contineat. Deus autem mutat sententiam, sed non consilium, ut dicit Gregorius: unde etiam Damascenus ponit ad hoc exempla de Ninivitis, Achab, & Ezechia, in quibus apparet quod sententia contra eos lata divinitus fuit per divinam misericordiam commutata.

Ad secundum dicendum, quod non est inconveniens, si multiplicatis suffragiis poena in purgatorio existentium annihilaretur; non tamen sequitur quod peccata remaneant impunita: quia poena unius pro altero suscepta alteri computatur.

Ad tertium dicendum, quod purgatio animæ per poenas purgatorii non est aliud quam expiatio reatus impediens à perceptione gloriæ: & quia per poenam quam

quam unus sustinet pro alio, potest reatus alterius expiari, ut dictum est, non est inconveniens, si per unius satisfactionem alius purgetur.

Ad quartum dicendum, quod suffragia ex duobus valent, scilicet ex opere operante, & ex opere operato. Et dico opus operatum non solum Ecclesiæ sacramentum, sed effectum accidentem ex operatione, sicut ex collatione elemosynarum consequitur pauperum relevatio, & eorum oratio pro defuncto ad Deum. Similiter opus operans potest accipi vel ex parte principalis agentis, vel ex parte exequentis. Dico ergo, quod quam cito moriens disponit aliqua suffragia sibi fieri, præmium suffragiorum plene consequitur, ante etiam quam fiant, quantum ad efficaciam suffragii, quæ erat ex opere operante principalis agentis; sed quantum ad efficaciam suffragiorum quæ est ex opere operato, vel ex opere operante exequentis non consequitur fructum antequam suffragia fiant, & si prius contingat ipsum à poena purgari, quantum ad hoc fraudabitur suffragiorum fructu; quod redundabit in illos quorum culpa defraudatur. Non enim est inconveniens quod aliquis defraudetur per culpam alterius in temporalibus: poena autem purgatorii temporalis est; quamvis quantum ad retributionem nullus defraudari possit, nisi per propriam culpam.

#### SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod pueri non baptizati non detinentur in limbo, nisi quia deficiunt à statu gratiæ: unde cum per opera vivorum, mortuorum status mutari non possit, maxime quantum ad meritum essentialis præmii, vel poenæ, suffragia vivorum pueris in limbo existentibus prodesse non possunt.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis peccatum originale sit huiusmodi quod pro eo possit aliquis ab alio juvari, tamen animæ puerorum in limbo existentes sunt in tali statu quod juvari non possunt; quia post hanc vitam non est tempus gratiam acquirendi.

Ad secundum dicendum, quod Augustinus loquitur de non valde malis, qui tamen baptizati sunt; quod ex hoc quod patet præmittitur: *Cum ergo sacrificia sive altaris, sive quarumcumque elemosynarum pro baptizatis omnibus offeruntur.*

#### SOLUTIO IV.

Ad quartam quæstionem dicendum, quod suffragium de sui ratione importat quamdam auxilium, quæ non competit ei qui defectum non patitur: nulli enim juvari competit nisi in eo quod indigens est. Unde cum Sancti qui sunt in patria, sint ab omni indigentia immunes, inebriati ab ubertate domus Dei, eis juvari per suffragia non competit.

Ad primum ergo dicendum, quod huiusmodi locutiones non sunt sic intelligendæ, quasi Sancti in gloria proficiant quantum ad se, quod eorum festa recolimus; sed quia nobis proficit, qui eorum gloriam solemniter celebramus; sicut ex hoc quod Deum cognoscimus, vel laudamus, & sic quodammodo ejus gloria in nobis crescit; nihil Deo, sed nobis accrescit.

Ad secundum dicendum, quod quamvis sacramenta efficiant quod figurant, non tamen illum effectum suum ponunt circa omne id quod figurant; alias cum figurent Christum, in ipso Christo aliquid ef-

figerent; quod est absurdum: sed efficiunt circa suscipientem sacramentum ex virtute ejus quod per sacramentum significatur: & sic non legitur quod sacrificia pro fidelibus defunctis oblata Sanctis prosint; sed quia ex meritis Sanctorum qui recoluntur, vel significantur in Sacramento, prosunt aliis pro quibus offeruntur.

Ad tertium dicendum, quod quamvis Sancti qui sunt in patria, de omnibus bonis nostris gaudeant, non tamen sequitur quod multiplicatis nostris gaudiis eorum gaudium augmentetur formaliter, sed materialiter tantum: quia omnis passio formaliter augetur secundum rationem objecti sui. Ratio autem gaudendi in Sanctis, de quibuscumque gaudent, est ipse Deus de quo non possunt magis, & minus gaudere; quia sic essentielle eorum præmium variaretur, quod consistit in hoc quod de Deo gaudent. Unde ex hoc quod bona multiplicantur, de quibus gaudendi ratio eis Deus est, non sequitur quod intensius gaudeant, sed quod de pluribus gaudeant: & ideo non sequitur quod operibus nostris juventur.

Ad quartum dicendum, quod non est intelligendum quod fiat oppositio mercedis, vel retributionis illi beato per suffragia ab aliquo facta, (1) sed facienti. Vel dicendum, quod ex suffragiis potest appositio mercedis fieri beato defuncto, in quantum sibi de suffragiis faciendis adhuc vivens (2) disposuit, quod ei meritorium fuit.

#### ARTICULUS III.

*Utrum non solum orationibus Ecclesiæ, & sacrificio altaris, & elemosynis animæ defunctorum juventur.*

1. **A**D tertium sic proceditur. Videtur quod non solum orationibus Ecclesiæ, & sacrificio altaris, & elemosynis animæ defunctorum juventur; vel quod eis juventur præcipue. Poena enim debet per poenam recompensari. Sed jejuniu magis est poenale quam elemosyna, vel oratio. Ergo jejuniu magis prodesset in suffragiis quam aliquod prædictorum.

2. Præterea. Gregorius II. tribus (3) prædictis connumerat jejuniu, ut habetur caus. xlii. quæst. xi. *Animæ defunctorum quatuor solvantur modis, aut oblationibus sacerdotum, aut orationibus Sanctorum, aut carorum elemosynis, aut jejuniu cognatorum.* Ergo (4) insufficienter ab Augustino hæc enumerantur tria prædicta.

3. Præterea. Baptismus est potissimum Sacramentorum, maxime quantum ad effectum. Ergo baptismus, vel alia sacramenta debent, vel similiter, vel magis prodesse defunctis, sicut sacramentum altaris.

4. Præterea. Hoc videtur ex hoc quod habetur I. Corinth. xv. 29. *Si omnino mortui non resurgunt, ut quid baptizantur pro illis.* Ergo baptismus etiam valet ad suffragia defunctorum.

5. Præterea. In diversis Missis est idem altaris sacrificium. Si ergo sacrificium computatur inter suffragia, & non Missa, videtur quod tantumdem valeat quæcumque Missa pro defuncto dicatur, sive de beata Virgine, sive de Spiritu Sancto, vel quæcumque alia; quod videtur esse contra Ecclesiæ ordinationem, quæ specialem Missam pro defunctis instituit.

6. Præterea. Damascenus in sermone de dormientibus, docet ceras, & oleum, & huiusmodi pro defunctis.

(1) *Al. vel facienti.* (2) *Al. deposuit.* (3) *Al. deest prædictis.* (4) *Al. sufficienter.*

functis offerri. Ergo non solum oblatio sacrificii altaris, sed etiam alie oblationes debent inter suffragia mortuorum computari.

### QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod indulgentiæ quas Ecclesia largitur, etiam mortuis prosint. Primo per consuetudinem Ecclesiæ quæ facit prædicari crucem, ut aliquis habeat indulgentiam pro se, & duobus, vel tribus, & quandoque decem animabus tam vivorum quam mortuorum; quod esset deceptio, nisi mortuis prodesse. Ergo indulgentiæ mortuis prosunt.

2. Præterea. Meritum totius Ecclesiæ est efficacius quam meritum unius personæ. Sed meritum personale suffragatur defunctis, ut patet in elargitione elemosynarum. Ergo multo fortius meritum Ecclesiæ, cui indulgentiæ innuntur.

3. Præterea. Indulgentiæ Ecclesiæ prosunt illis qui sunt de foro Ecclesiæ. Sed illi qui sunt in purgatorio, sunt de foro Ecclesiæ; alias eis suffragia Ecclesiæ non prodesse. Ergo videtur quod indulgentiæ defunctis prosint.

Sed contra est, quia ad hoc quod indulgentiæ alicui valeant, requiritur causa conveniens pro qua indulgentiæ dantur. Sed talis causa non potest esse ex parte defuncti, quia non potest aliquid facere quod sit in utilitatem Ecclesiæ, pro qua causa præcipue indulgentiæ dantur. Ergo videtur quod indulgentiæ defunctis non prosint.

Præterea. Indulgentiæ determinantur secundum arbitrium indulgentias concedentis. Si ergo indulgentiæ defunctis prodesse possent, esset in potestate concedentis indulgentiam ut defunctum omnino liberaret à pœna, quod videtur absurdum.

### QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod cultus exequiarum defunctis prosint. Damascenus enim in sermone de dormientibus inducit verba Athanasii, sic dicens: *Licet (5) in aere qui in pietate consummatus est, depositus fuerit, ne renue oleum, & ceras (6) Dominum invocans in sepulcro accendere: accepta enim ista sunt Deo, & multam ab eo recipientia retributionem.* Sed huiusmodi pertinent ad cultum exequiarum. Ergo cultus exequiarum prodest defunctis.

2. Præterea. Sicut dicit Augustinus I. Lib. de Civ. Dei, cap. xiiii. *Antiquorum iustorum funera officiosa pietate curata sunt, & exequiæ celebratæ, & sepulcra provisiva: ipsique, cum viverent, de sepeliendis, vel etiam ferendis suis corporibus filiis mandaverunt.* Sed hoc non fecissent, nisi sepultura, & huiusmodi aliquid mortuis conferrent. Ergo huiusmodi aliquid prosunt defunctis.

3. Præterea. Nullus facit elemosynam circa aliquem, nisi ei proficiat. Sed sepelire mortuos computatur inter opera elemosynarum, unde, ut Augustinus dicit I. Civ. Dei, ubi sup. *Tobias sepeliendo mortuos Deum promeruisse teste Angelo commendatur.* Ergo huiusmodi sepulturæ cultus mortuis prodest.

(5) Ita Nicolajus ex græco textu Athanasii ubi eis aera habetur. Al. in aera, item in arca. (6) Al. Domini. Ex Edit. P. Nicol. (a) Velut ex IV. Lib. Dialog. Supplementum notat quæst. 11. art. 11. & sic etiam habet ms. Sed est potius Augustini Lib. de cura pro mortuis agenda cap. 11. versus finem. Ideo autem hic refertur ex Gregorio ad Archiepiscopum Bonifacium, quia causa xxiiii. quæst. 11. uno tenore subnectitur post Gregorii II. verba de suffragiis animarum diversis prænotata. In editione vero Patavina alias citata sic reponitur. Præterea. Augustinus dicit in eodem Libro, scilicet de cura pro mortuis agenda, cap. 11. ad finem, & Lib. I. de civit. Dei cap. xii. &c.

4. Præterea. Inconveniens est dicere, quod frustreretur devotio fidelium. Sed aliqui ex devotione se in locis aliquibus religiosis sepeliri disponunt. Ergo sepulturæ cultus prodest defunctis.

5. Præterea. Deus prior est ad miserendum quam ad puniendum. Sed aliquibus nocet sepultura in locis sacris, si indigni sunt: unde dicit Gregorius (æquivalenter Lib. IV. Dialog. cap. l.) *Quos peccata gravia deprimunt, ad majorem damnationis cumulum potius quam ad solutionem eorum corpora in Ecclesiis ponuntur.* Ergo multo amplius dicendum est, quod sepulturæ cultus prosit bonis.

Sed contra est quod Augustinus dicit in Lib. de cura pro mortuis agenda (cap. ult.) *Corpori humano quidquid impenditur, non est presidium salutis æternæ, sed humanitatis officium.*

Præterea, Gregorius dicit ad Bonifacium Archiepiscopum scribens (a) *Curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum magis sunt vivorum solatia quam subsidia mortuorum.*

Præterea. Dominus dicit Matth. x. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant.* Sed post mortem Sanctorum corpora possunt à sepultura prohiberi, sicut in ecclesiastica historia legitur factum de quibusdam Martyribus Lugduni Galliæ. Ergo non nocet defunctis si eorum corpora inhumata remaneant: ergo nec cultus sepulturæ prodest.

### SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod suffragia vivorum prosunt defunctis secundum quod uniuntur viventibus charitate, & secundum quod intentio viventium refertur in mortuos: & ideo illa opera præcipue nata sunt mortuis suffragari quæ maxime ad communicationem charitatis pertinent, vel ad directionem intentionis in alterum. Ad charitatem autem sacramentum eucharistiæ præcipue pertinet, cum sit sacramentum ecclesiasticæ unionis, continens illum in quo tota Ecclesia unitur, & consolidatur, scilicet Christum: unde eucharistia est quasi quædam charitatis origo, sive vinculum; sed inter charitatis effectus præcipuum est elemosynarum opus: & ita ista duo ex parte charitatis præcipue mortuis suffragantur, scilicet sacrificium Ecclesiæ, & elemosynæ. Sed ex parte intentionis directæ in mortuos præcipue valet oratio: quia oratio secundum suam rationem non solum dicit respectum ad orantem, sicut & cætera opera, sed directius ad id pro quo oratur. Et ideo ista tria ponuntur quasi præcipua mortuorum subsidia; quamvis quæcumque alia bona ex charitate fiant pro defunctis, eis valere credenda sint.

Ad primum ergo dicendum, quod in eo qui satisfaciunt pro altero, magis est considerandum, ad hoc quod effectus satisfactionis ad alterum perveniat, id quo satisfactio unius transit in alterum; quam etiam satisfactionis pœna; quamvis ipsa pœna magis expiatur reatum satisfaciens, in quantum est medicina quædam: & ideo tria prædicta magis valent defunctis quam jejunium.

Ad

Ad secundum dicendum, quod etiam jejunium potest prodesse defunctis ratione charitatis, & intentionis in defunctos directæ; sed tamen jejunium in sui ratione non continet aliquid quod ad charitatem, vel ad directionem intentionis pertineat, sed hæc sunt ei quasi extrinseca: & ideo Augustinus non posuit, sed Gregorius posuit jejunium inter suffragia mortuorum.

Ad tertium dicendum, quod baptismus est quædam spiritualis regeneratio: unde sicut per generationem non acquiritur esse nisi generato, ita baptismus non habet efficaciam nisi in eo qui baptizatur, quantum est ex opere operato; quamvis ex opere operante vel baptizantis, vel baptizati possunt aliis prodesse, sicut & cætera opera meritoria. Sed eucharistia est signum ecclesiasticæ unionis; & ideo ex ipso opere operato ejus efficaciam in alterum transire potest, quod non contingit de aliis sacramentis.

Ad quartum dicendum, quod Glossa auctoritatem istam dupliciter exponit. Uno modo sic. *Si mortui non resurgunt, nec etiam Christus resurrexit, ut quid etiam baptizantur pro illis?* idest pro peccatis, cum ipsa non dimittantur, si Christus non resurrexit: quia in baptismo non solum passio Christi, sed etiam resurrectio operatur, quæ est nostræ spiritualis resurrectionis quodammodo causa. Alio modo sic. *Fuerunt quidam imperiti qui baptizabantur pro his qui de hac vita sine baptismo discesserant, putantes illis prodesse:* & secundum hoc Apostolus non loquitur nisi secundum errorem aliquorum in verbis illis.

Ad quintum dicendum, quod in officio Missæ non solum est sacrificium, sed etiam sunt ibi orationes: & ideo Missæ suffragium continet duo horum quæ hic Augustinus numerat, scilicet orationem, & sacrificium. Ex parte igitur sacrificii oblati Missa æqualiter prodest defuncto, de quocumque dicatur; & hoc est (7) præcipuum quod fit in Missa. Sed ex parte orationum magis prodest illa in qua sunt orationes ad hoc determinatæ. Sed tamen iste defectus recompensari potest per majorem devotionem vel ejus qui dicit Missam, vel ejus qui facit dici, vel iterum per intercessionem Sancti cujus suffragium in Missa imploratur.

Ad sextum dicendum, quod huiusmodi oblatio candelarum, vel olei possunt prodesse defuncto, in quantum sunt elemosynæ quædam: dantur enim ad cultum Ecclesiæ, vel etiam in usum fidelium.

### SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod indulgentia dupliciter alicui prodesse potest: uno modo principaliter; alio modo secundario. Principaliter quidem prodest ei qui indulgentiam accipit, scilicet qui facit hoc pro quo indulgentia datur, ut qui visitat limina alicujus Sancti: unde cum mortui non possint aliquid facere eorum pro quibus indulgentiæ dantur, eis indulgentiæ directæ valere non possunt. Secundario autem, & indirecte prosunt ei pro quo aliquid facit illud quod est indulgentiæ causa, quod, sicut dist. xx. q. 1. art. 5. quæstiunc. 3. ad 2. dictum est, quandoque contingere potest, quandoque autem non potest, secundum diversam indulgentiæ formam. Si enim sit talis indulgentiæ forma: Quicumque facit hoc, vel illud, habebit tantum de indulgentia: ille qui hoc facit, non potest fructum indulgentiæ in alium transferre: quia ejus non est applicare ad ali-

(7) Al. principium.

quid intentionem Ecclesiæ, per quam communicantur communia suffragia, ex quibus indulgentia valeant. Si autem indulgentia sub hac forma fiat: Quicumque fecerit hoc, vel illud, ipse, & pater ejus, vel quicumque ei adjunctus in purgatorio detentus tantum de indulgentia habebit: talis indulgentia non solum vivo, sed etiam mortuo proderit. Non enim est aliqua ratio quare Ecclesia possit transferre merita communia, quibus indulgentiæ innuntur, in vivos, & non in mortuos. Nec tamen sequitur quod prælatus Ecclesiæ possit pro suo arbitrio animas à purgatorio liberare: quia ad hoc quod indulgentiæ valeant, requiritur causa conveniens indulgentias concedendi, ut supra dist. xx. dictum est.

### SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod sepultura adinventæ est & propter vivos, & propter mortuos. Propter vivos quidem, ne eorum oculi ex turpitudine cadaverum offendantur, & corpora freroribus inficiantur; & hoc quantum ad corpus: sed spiritualiter etiam prodest vivis, in quantum per hoc adstruitur resurrectionis fides. Sed mortuis prosunt ad hoc quod inspicientes sepulcra memoriam retinent defunctorum, ut pro defunctis orent: unde & monumentum à memoria nomen accepit. Dicitur enim monumentum, quia monet mentem, ut dicit Augustinus in I. de Civ. Dei, cap. xiiii. & in Lib. de cura pro mortuis agenda, cap. iv. Paganorum tamen error fuit, quod ad hoc sepultura mortuo prosit, ut ejus anima quietem accipiat: non enim credebant prius animam quietem posse accipere quam corpus sepultura daretur; quod omnino ridiculum, & absurdum est. Sed quod ulterius sepultura in loco sacro mortuo prodest, non quidem est ex ipso opere operato, sed magis ex ipso opere operante, dum scilicet vel ipse defunctus, vel alius corpus ejus tumulari in loco sacro disponens, patrocinio alicujus Sancti eum committit, cujus precibus per hoc credendus est adjuvari, & etiam patrocinio eorum qui loco sacro deserviunt, qui pro apud se tumulari frequentius, & specialius orant. Sed illa quæ ad ornam sepulturæ exhibentur, prosunt quidem vivis in quantum sunt vivorum solatia, sed possunt & defunctis prodesse, non quidem per se, sed per accidens, in quantum scilicet per huiusmodi homines excitantur ad compatiendum, & per consequens ad orandum, vel in quantum ex sumptibus sepulturæ vel pauperes fructum capiunt, vel Ecclesia decoratur: sic enim Sap. iv. sepultura inter cæteras elemosynas computatur.

Ad primum ergo dicendum, quod oleum, & cera ad sepulcra defunctorum perlata per accidens defuncto prosunt, vel in quantum Ecclesiæ offeruntur, sive pauperibus dantur, vel in quantum huiusmodi in reverentiam Dei fiunt; unde verbis præmissis subjungitur: *Oleum enim, & cera holocaustum sunt.*

Ad secundum dicendum, quod ideo Sancti Patres de suis corporibus tumulandis curaverunt, ut ostenderent corpora mortuorum ad Dei providentiam pertinere; non quod corporibus mortuis aliquis sensus insit, sed propter fidem resurrectionis adstruendam, ut patet per Augustinum in I. de Civit. Dei, ubi supra, unde etiam voluerunt in terram promissionis sepeliri, ubi credebant Christum nasciturum, & moriturum; cujus resurrectio nostræ resurrectionis est causa.

Ad